



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 3. Quid est fidejussio?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

constaret assicuranti res, vel merces alterius esse extra omnem aleam positas, v. g. jam pervenisse ad portum, peccaret, & teneretur restituere pretium acceptum: nam nullus est titulus accipendi pretii, cum assicuratio non sit in hoc casu digna pretio. Deinde asseturans sua deceptione dedisset causam contractui. Idem dic de eo, qui sciens rem suam perire, pacifceretur cum altero de illius assicuratione: quia impossibilis est rei, quæ periret, assicuratio; hæc enim potest esse dubitata de re, cuius periculum caveri potest: ergo tunc nullus est contractus, cum deficiat ejus materia. Deinde tunc dolus daret causam contractui. 2. Requiritur, ut pretium sit proportionatum periculo, spectata æstimabilitate rei, quæ assicuratur, alioqui non servaretur æqualitas.

*Q. 3. Quid est Fidejussio?*

*Resp.* Est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis eam non impleverit. Circa quod observa

1. Si obligatio debitoris principalis sit invalida, aut extinguitur, cessat etiam obligatio fidejussoria defectu materiæ: quia hæc semper supponit obligationem principalem, estque illius accessoria.

2. Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quam debet is pro quo obligantur: nam eorum

corum obligatio accessionis est principalis obligatio-  
nis; nec plus in accessione debet esse, quam in  
principaliter. Institut. de fidejussor.

3. Fidejussor non potest conveniri ad sol-  
vendum, nisi prius à principali debitore repe-  
titum fuerit debitum, & constiterit eum non  
esse solvendo. Hæc enim est veluti conditio  
hujus contractus, nisi aliter conventum sit.

4. Fidejussoris obligatio transit ad hæredes.

5. Peccat graviter, qui certus de sua impo-  
tentia ad solvendum pro alio, ejus fidejusso-  
rem se constituit, putans fieri posse, ut debitor  
non sit solvendo: nam creditorem injustè de-  
cipit, falsam ei securitatem offerendo, & dat  
ei occasionem periculi, ac damni.

6. Principalis debitor tenetur non solum re-  
pendere, quæ fidejussor pro eo solvit, sed etiam  
resarcire omnia damnata ex eo, quod  
ipse tempore debito non solverit: nam vi  
contractus tenetur fidejussorem indemnem  
servare, ea quippe lege is fidejubet.

*Sed an licet pro fidejussione exigere pretium à  
debitore?*

*Resp.* Multi affirmant licere de eo pacisci,  
pro ratione quantitatis debiti, & periculi: quia  
obligatio civilis solvendi debitum alterius est  
onus pretio estimabile, nec fidejussor tenetur  
eam gratis suscipere. Neque id exigit pro so-  
lutione pecuniae alterius loco datæ, vel dandæ,  
nam hoc esset usurarium; sed pro subeunda

Nn 3 obli-

obligatione solvendi debitum alterius. Alii negant, si fidejussor sciat nullum subesse periculum, nec molestiam: quia tunc obligatio, quam suscipit, nullum afferit onus pretio compensabile. Imò negant, etiamsi prævideatur periculum: quia obligatio solvendi pro alio, eis videtur esse mutuum virtuale, eoque dicitur totum rependere fidejussori, quod pro eo solvit. Prior opinio videtur probabilior, saltem si periculum aliquod subeat fidejussor. Nec fidejussio videtur esse mutuum virtuale: quia non consistit in traditione rei, sed præcisè in susceptione obligationis alienæ.

**Q. 4. Quid est Pignus, & Hypotheca?**

*Resp.* Pignus est contractus, quo debitor rem aliquam mobilem tradit creditori ad securitatem debiti, pro quo sic obligata est, ut possit ex ea solutio peti, si debitor non solverit.

Hypotheca verò est contractus, quo res immobilis obligatur creditori ad securitatem debiti, ita ut Jus habeat ex ea solutionem petendi. Differunt inter se 1. Quod in pignore restradatur creditori, in hypotheca verò res solâ conventione obligetur sine traditione. Interdum tamen mobilia bona sine traditione hypothecantur. 2. Quod pignus sit rei mobilis, hypotheca verò rei immobilis. Hac tamen nomina passim in Jure idem sonant, & sumuntur etiam pro ipsâ re alteri obligata ad secu-